

charitate, quæ est ornamentum omnium præstantissimum: deinde, ad neminem libentius divertit hospes, quam ad eum, a quo se diligere animadvertit: denique, nullum amicum excipimus hospitio, quin ei varia amoris indicia exhibeamus: quanto magis Deus ita excipiendus est, præsertim quia ex amore sacramentum hoc instituit, ut sit amoris reciproci pignus? Similiter cum missam audis, quia et tunc sursum cor elevare ad Deum moneris: quartum, cum in confessione conscientiam exoneris; nisi enim tunc requiretur actus charitatis, non dixisset Deus de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*: quintum, in articulo mortis; ut enim oratores in epilogo suarum declamationum quidquid habent artis adhibent; et Romani in præliis triarios omnium fortissimos extremo loco ponebant; et amici sub discessum sibi mutuo valedicentes, vel post diurnam absentiam mutuo se conspicientes et salutantes, dulcissima amoris signa promunt; ita par est ut faciamus, cum ultimam vitæ nostræ scenam acturi, cum ultimo conflictu dæmonem oppugnaturi, cum mundo valedicturi et Deum salutaturi sumus.

V. Diligendus est efficaciter. Alioquin vanus est amor, si ea quæ amico grata sunt, non facias. Diligere enim est dilecto bonum velle, ut supra diximus. Signum autem et effectus amoris divini primum est, frequenter de Deo cogitare: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, ait Dominus, Matth. VI. Parum aut nihil amare creditur, qui nunquam de amico cogitat. Secundum, libenter et reverenter de Deo loqui: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, Luc. VI.

Tertium, revelare ei arcana sua, in confessione potissimum. Hinc enim Dalila Samsoni nolenti revelare sibi arcanum suum dixit: *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Judic. XVI.

Quartum, libenter, et quasi inseparabiliter cum eo conversari, convesci, eumque audire loquentem sive per se, sive per suos. Quia: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, Joan. VIII. et Cantic. II. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis*: ergo ad missam et communionem libenter ibis, si Deum amas. Vel si exiguae te remora detineant, ne ad illa pergas, convinceris non amare Deum: *Inaudita est dilectio*, inquit Cassiod. super Psal. XVIII. *quæ amicum diligit, et præsentiam ejus non amat*.

Quintum, facere quæ sunt ei placita adeoque mandata ejus custodire. Cum enim amantium sit cor unum et anima una, sequitur amicum ea velle debere, quæ vult amicus suus fieri, non

aliter ac quis suam vult fieri voluntatem. Ita Christus quia Patrem dilexit, mandata ejus servavit: *Ut intelligat mundus, ait, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, Joan. XIV. et paulo ante: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me*. Quare si dicas: Liceat mihi hac vice transgredi hoc vel illud mandatum, convinceris non amare Deum.

Sextum, aversari, vitare et impedire, quæ ei displicent, uti sunt peccata. His enim potissimum, si posset Deus mœrere, induceretur ad mœrorem. Quo ergo magis vel minus sollicitè abstinere a peccatis, vel committenda impedire, vel commissa punire, eo magis vel minus Deum diligis. Eodem spectat dolere de offensa Dei, quod faciebat S. Augustinus, qui flebat, quoties audiebat grave aliquod peccatum.

Septimum, promovere bonum ejus, gloriam scilicet et honorem, quantum est in te, v. g. curare ut niteat altare: inducere verbo et exemplo alios ad Dei obsequium et amorem. Ut enim qui oderunt aliquos, avertere conantur homines ab illis: ita qui amant aliquos, conciliant illis homines.

Octavum, contemnere pericula propter ipsum; quidem: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, I. Jo. IV. Non ergo metuas peccantes reprehendere, mundum offendere, cum tibi iniqua suadet.

Nonum, non solum ipsum, sed etiam ejus imaginem et quidquid ejus est charum habere. Ergo dilige etiam proximum tuum, licet inimicum, quia imago Dei est: ideoque præcepto dilectionis Dei mox additur: *Et proximum tuum sicut teipsum*. Imprimis vero dilige superiores tuos, velut Dei vicarios, item sanctos, sacramenta, Dei et sanctorum imagines, missam, Dei verbum, pauperes quia repræsentant Christum.

Ergo auditores discamus amare Deum et proficiamus in dies: nec pudeat nos addiscere etiam cum senesimus. Hic enim locum habet, si uspiam habet, dictum illud Salvii Juliani, in pandect. l. IV. tom. de fidei commiss. l. apud Jul. *Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere vellem, discere inquam amare Deum, quæ est ars omnium nobilissima, et subtilissima, ut ita eam in cælo sine fine exercere valeamus cum omnibus sanctis*.

CONCIO V.

INCITAMENTA AD DILIGENDUM PROXIMUM.

I. Quia lex naturæ præcipit. — II. Quia serium Domini præceptum est. — III. Quia sine hac dilectione vivere miserum. — IV. Quia maxime Deo placet. — V. Exempla dilectionis heroica. — VI. Fructus ingens.

THEMA.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Matth. XXII.

Canticorum II. inter alia ita canit sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*: quæ tamen ultima verba paulo aliter leguntur in Hebræo textu: *Vexillum ejus super me amor*; recte tamen inter se conveniunt. Cella hæc vinaria, in quam sponsa introducta est a sponso, Ecclesia catholica est (ut exponit ibi Mart. Delrius) in qua vini amoris divini, quod inebriat justorum animas, magna abundantia est. Porro amor ille juxta Hebræum textum, vexillum sponsi est, quod ipse velut dux militibus suis præfert, quo eos ad se attrahat et congreget, et quasi scopum proponit, in quem oculos conjiciant. Quod vero vulgatus interpres legit: *Ordinavit in me charitatem*, non aliud est, quam si dixisset: *Statuit me sub vexillo charitatis, jussit me in hoc ordine et statione militare*. Recte vero, sicut et septuaginta interpretes, usus fuit verbo *ordinandi*, tum quia (ut ait D. Augustinus, l. XXII. de civ. c. XXI.) nihil est aliud perfecta et vera virtus, quam ordo amoris, tum quia amoris vinum animam non dementat, sed potius illuminat ut ordinate et prudenter diligit primo Deum, secundo se, tertio proximos, et hos ipsos quosdam in principis, alios in media acie, alios in fine agminis; ut diligit Deum propter se, proximum autem propter Deum: ut diligit Deum ex toto corde, seu super omnia, proximum ut seipsum: uxorem uti corpus suum: inimicum sicut fratrem. Ad hoc vexillum, ad hunc ordinem et stationem, auditores, vocamur in hodierno evangelio. Sequamur ergo ducem nostrum. Quis sub hoc duce et vexillo non militat, hostis est, transfuga est, filius mortis est, quia extra charitatem, adeoque in morte degit. Vocavimus vos alibi ad amorem Dei: vocemus nunc ad amorem proximi.

I. Incitamentum primum. Quia lex naturæ præcipit. Omnes enim amari volumus, ergo et amemus: unde Dominus, Matth. VII. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ*. Quemadmodum ergo tu vis, ut proximus te amet:

sic vult etiam proximus tuus, ut tu ipsum ames: et sicut naturali inclinatione teipsum amas et amari vis, sic et amare debes. Deinde, quia, ut ait Ecclesiasticus, cap. XIII. *Omne animal diligit sibi simile, sic et omnis homo proximus sibi*. Videmus hoc in primis in ovibus, quæ propter ea simul pascuntur, neque gregem temere deserunt, ideoque minus periclitantur ab insidiis luporum: ergo si oves Christi esse volumus ad dexteram ejus locandæ, mutuo nos amemus et ab invicem ne separemur, sic enim et contra hostes nostros, securiores erimus. De graculis dicitur proverbio: *Semper graculus assidet graculo*, quod in suos gregales maximo amore ferantur. Et enim si vel inanem sui imaginem in pelvi olei pellucidi plena intueantur, mox in eam descendunt quasi ad sociam avem, ibique olei tenacitate imbuti, sine retibus comprehenduntur, ut auctor est Ælianus, lib. IV. cap. XXX. Quod si aves istæ etiam vanum sui simulacrum adeo diligunt, non pudeat homines, quod non ament sibi similes homines, seu vera et viventia divinitatis exemplaria, cum in ipso intueantur et sui et Dei ipsius imaginem et similitudinem? Et certe nos longe pluribus et fortioribus similitudinum vinculis connexi sumus, quam bruta animantia. Nam:

Primo, communem omnes patrem habemus Deum. Idecirco voluit Christus ut orantes dicere-mus: *Pater noster qui es in cælis*, Matth. IV. et Matth. XXIII. *Omnes vos fratres estis*, inquit: et mox: *Unus est Pater vester, qui in cælis est*: similiter Malach. II. *Numquid non Pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?*

Deinde, eodem Christi sanguine redempti sumus: et quod fortius gluten esse potest fervente et pretioso isto cruore? Nonne etiam inimici duo, Pilatus et Herodes, ethnicus et Judæus sanguine illo conglutinati et sibi invicem reconciliati sunt? Luc. XXIII. Id quod manifeste indicat Christi passionem fontem esse totius amicitie inter homines gerendæ.

Ad hæc eodem baptismo abluti sumus, eodem eucharistico pane vescimur. Is quemadmodum ex multis granis unus sit: sic voluit etiam Christus omnes nos unum in charitate esse. Herodes et Pilatus amici facti sunt, quia alter alteri misit Christum: atqui: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est*, ait apostolus, I. Corinth. X.

Rursum nonne eamdem Christi professionem gerimus? « Quæ autem amicitia, inquit Chryso. ho. XIV. in Joa. quæ familiaritas tantam contra-

nere unionem posset, quantam fidei cognatio? Non enim quantam amicus amico debet propinquitatem, tantam nos habere invicem oportet, sed quanta est membri ad membrum. Hac amicitia et cura aliam nemo unquam invenire posset. Quemadmodum ergo is sane ridiculus foret, qui unde sibi secum familiaritas, unde propinquitas, percontaretur: ita is, qui unde sibi cum fratre, etc. » Sic ille.

Denique, si nil aliud foret, quam quod ejusdem regni hæredes simus, communemque expectemus beatitudinem et vitam per omnem æternitatem jucundissime transigendam, annon id unum succiceret?

II. Quia præceptum Domini est serio nobis inculcatum. Hinc enim S. Joannes evangel. cum ad ecclesiam moriturus deferretur manibus discipulorum, perpetuo in ore habuit: *Filioli diligite alterutrum; rationemque addens: Quia præceptum Domini est, inquit, et si solum fiat, sufficit, ut refert Hieronym. in epist. ad Galat. Præceptum autem Domini id est, non quia solum, sed quia potissimum et peculiare. Unde id in ultima cœna discessurus a suis tradidit et quasi in perpetuum memoriale eis commendavit; quæ autem morituri vel discessuri solent commendare vel mandare, ea seria reputantur et fortius retinentur. Hujus memorialis typus fuit tunica Christi inconsutilis, militibus relicta, qui proinde videntes desuper contextam esse per totum, dixerunt: Non scindamus eam, Joan. XIX. Charitas, inquit S. Aug. tract. CV. in Joan. est tunica inconsutilis Christi, quæ ad unum scilicet Deum pervenit et in unum omnes colligit. Quod ergo improbi milites scindere non sunt ausi, nos scindamus Christiani, quibus ea vestis præcipue commendata est? Egit nobiscum Deus, quomodo Seytharum rex Scilurus apud Plut. in. apophth.) fertur egisse cum filiis suis moriturus, dum fasciculum sagittarum eis frangendum porrexit, quem illi cum frangere non possent, ipse, singulas eximens sagittas nullo negotio fregit, adjungens: *Si mutuo amore colligati fueritis, validi invitque manebitis: contra dissidiis seditioneque distrahamini, imbecilles eritis et expugnati faciles.* Videtur ergo similem in modum dicere nobis Dominus si ad instar tunicæ meæ fueritis contexti et amoris vinculo connexi, manebitis integri et invicti; sin vero inter vos divisi et externo tantum coactionis filo consutis, facile scindemini. Quisquis ergo fraternam dilectionem per odium aut contentionem scindit, tunicam Christi inconsutilem scindere non dubitet: et Christum de se conqueri noverit, quomodo conquestus est de Ario hæresiarcha, quando S. Petro episcopo Alexandr. veste lacera*

apparuit et dixit: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit, ut in ejus officio habet brevium Rom.*

III. Quia sine hac dilectione vivere est miserimum. « Absque amicis vivere, inquit Arist. I. VIII. eth. cap. I. et VIII. licet cætera omnia bona suppeterent, eligeret nemo. Nam et divites, et principatus potestatem habentes, maxime indigere amicis videntur. » Unde Scipio semper amicum aliquem sibi fecisse dicitur, antequam e foro discederet. Cicero dixit: *Solem e mundo tollunt, qui amicitiam e vita tollunt.* Quid autem in mundo jucundum esse posset si sol abesset? Neque injucundum solum, sed etiam difficillimum ac vix possibile est vivere absque dilectione. Ut enim nulla natio habet omnia vitæ necessaria: sed alia habet vinum, alia frumentum, alia salem, alia oleum, alia aurifodinas, alia gemmas, alia aquas medicas vel acidulas, etc. adeoque altera alterius ope indiget, ideoque cum ea societatem et amicitiam contrahit: ita disposuit etiam divina providentia, ut nemo unus omnia haberet, sed aliorum opera egeret. Huic igitur indigentia succurritur per amoris mutui præceptum. Qui enim ab uno quoque diligitur, ab omnibus etiam in necessitate juvatur. Tolle dilectionem, et omnes simul egebimus. Denique, quisque cupit diligi ab aliis: iniquum igitur est aliis negare, quod quis ab aliis sibi impertiri vult.

IV. Quia maxime placet Deo proximi dilectio. Nam Eccl. XXV. dicitur: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Hoc vero multis miraculis ad Deo commonstratum est. Emprius S. Catharina Sennensis cum aliquando pauperem quemdam, qui pro Christi amore bona sua pauperibus erogarat, penuriam pati intellexisset, sacculum suum ovis implevit, quibus egentem reficeret. At dum interea templum intrare, et ibidem extasin passa in terram collaberetur, jacuit aliquot horis super ova illa, et digitale quidem quod in eodem gerebat sacco, in tres partes, corporis mole contrivit, ovorum vero nullum fregit, Surius, in vita, 29. april. Spiridon archiepiscopus Timiduntis cum accepisset virum quemdam innoxium perperam capite damnatum propere ad præsidem eundem esse decrevit, ut innoxius liberaretur. Sed cum eunti torrens tum valde exundans obsisteret, præcepit sanctus torrenti, ut divideretur, viamque sibi, ac comitibus aperiret. Paruit flumen et sistens cursum, præbuit illis transitum. Quod ubi præses intellexit, venientemque Spiridonem vidit, confestim hominem e carcere ereptum vita

donavit et Spiridoni dedit, Surius, in vita, mense decembri. Leo, postmodum imperator cum sitiienti cuidam cæco commiseraretur atque e scaturigine quadam Dei nutu sibi ostensa, aquam attulisset, oculosque ejus humectasset, visum cæcus recepit, Niceph. I. XV. c. XXV. Navis quam frumento onustam tradiderat nauclero S. Joannes eleemosynarius episcopus Alexandrinus, intra viginti dies ab Alexandria in insulas Britannia pervenit adeo vehementi vento, ut nauclerus quo iret, ignoraret: sanctus autem Joannes episcopus ad gubernaculum sedere et dicere ei visus est: *Ne timeas, recte navigas.* Itaque in Britannia appellens comperit magnam famem, cui frumento illo succursum est, Leontius, in ejus vita.

V. Exempla dilectionis heroica, a sanctis viris edita. A Christi exemplo argumentatur S. Joannes, I. Joan. IV. *Charissimi, inquit, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.* Exemplum primorum Christianorum proponit nobis Lucas, Act. IV. cum ait: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia:* item Sancti Pauli, Act. XXVI. cum Agrippæ dicenti: *In modico suades me Christianum fieri,* respondit: *Opto apud Deum et in modico et tu magno, non tantum te sed et omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis.* Exemplum Christianorum sui temporis circa annum videlicet ducentisimum proponit Tertullianus, in apol. c. XXXIX. cum ait tantum fuisse inter eos charitatem mutuanam, ut gentes admirarentur dicentes: *Videte ut invicem se diligant, et ut pro alterutro mori sint parati!* Et certe in primitiva Ecclesia viri vocabant se invicem fratres, feminae sorores, uti ex epistolis Sancti Pauli patet, variis in locis.

Recentius exemplum subministrant SS. Ignatius et Xaverius, quorum ille ut obscœnum adolescentem extra urbem ad amasiam pergentem corrigeret, gelidissimis sese aquis, viæ, qua transitus erat, adjacentibus immergens usque ad collum, ad transeuntem vociferatus est: *Perge miser ad fœdissimas tuas voluptates. Impendentem capiti tuo ruinam non vides? Ego hic me tui causa tamdiu macerabo, donec justissimum Dei furor in te paratum avertam.* Quo spectaculo compunctus adolescens pedem retulit, et vitam emendavit, Ribadeneira, in vita. Alter vero Xaverius, perditissimum quemdam militem Lusitanum, quo cum vehebatur in navi, per decem octo annos nunquam confessum, cum placidis verbis ad confessionem persuasisset et confitentem audisset, dimisit, pœnitentia tantum unius

orationis dominicæ et salutationis angelicæ juncta: in reliquo se pro ipso satisfacturum spondens. Moxque paulisper a milite digressus in proximam silvam, terga nudare et pro eo acerrime se verberare flagello cœpit donec miles eum secutus deprehendit. Qui ut triste hoc spectaculum vidit, ad pedes se patris abjecit, nec prius surrexit, quam ille aliena scelera in seipso plectere desineret; indeque omnes anteactæ vitæ fraudes ipsemet in se voluntaria pœna mulctavit, histor. soc. Jesu, tom. I. l. VIII. n. CXV.

VI. Fructus incomparabilis hujus dilectionis. Non frustra dixit S. Joannes, de hoc præcepto: *Si hoc solum fiat, sufficit.* Ubi enim charitas est, ibi nemo alteri invidet, nemo alterum offendit, ibi alter alterum fraterne corrigit, supportat, juvat, etc. adeo ut S. Dominicus diceret: *Plus in charitatis codice didici, quam in universa sacra Scriptura,* Beierl. in apophth. christ. Imo si hæc dilectio inter nos vigeret, magistratu opus non esset. Audi Ciceronem ethnicum: *Amicitia continet civitates,* inquit l. de amicitia, *et si homines sint amici non est opus justitia.* Celeberrimus apud Hispanos concionator Philippus Diez refert tom. II. quadrag. p. II. feria quarta post dom. I. exemplum nobilissimi cujusdam sed moribus perversissimi hominis, cui vir quidam religiosus, morum et ingenii ejus conscius, hæc tamen verba magno tamen spiritus fervore dixit: « Bonum quod tibi vis fieri fac quoque proximo tuo, quam sententiam si memoria retinueris et opere executus fueris, salvaberis. Audivit nobilis ille vir brevem hanc exhortationem et exinde secum ita ratiocinabatur: Si quis tibi aliquid deberet, annon velles statim tibi solvi: et si tu pauper esses, annon libenter videres, si dives tibi eleemosynam largiretur? Justum itaque est, ut tu reddas quod debes tuis creditoribus, et pauperibus atque egenis subvenias. Quibus operibus dum vacaret, quadam nocte excepit in domo sua ægrotum quemdam pauperem, cui postquam cœnam bonam dedisset, jussit prope suum cubile lectum ei sterna, dicens: Si ego pauper essem et ægrotus, libenter viderem me ita humaniter excipi. Mædia vero nocte cœpit ægrotus pauper clamare et aquæ haustum petere dicens se gravi siti vexari. Surrexit nobilis ille ut haustum peteret, dicens intra seipsum: Si tanta ego siti premerer, libenter viderem, si aquæ haustus mihi porrigeretur. Descendit itaque ad cisternam, ut aquam afferret: et, cum esset obscurum, et in fervore illo acceleraret, impegit et cecidit intus: et ipso Domino permittente suffocatus est. Fuit casus extraordinarius quidem, sed et sensus et lacrymæ totius do-